D. Hanc levem animo meo injeciſti ſcrupulum, dum Chriſtianis quævis Eccleſiæ ſæculis omnia Spectacula, in quibus Tragicæ, vel Comicæ exhibentur Hiſtoriæ, tanquam illicita à Sanctis Patribus prohibita fuiſſe affirmaſti. Ipſe quippè multorum ſecutus opinionem, hiſce Spectaculis perſæpè intereſſum, nec quemquam hactenus vidi, vel audivi, qui inductum Comœdiarum uſum reprobaret: Immò, hoc nemo non facit, ſic vivitur à Magnatibus, his veſtigiis majores mei ſunt ingreſſi, hoc Magiſtratus, & Principes approbant.

M. Comœdias illicitas eſſe, & Chriſtianæ innocentiæ periculoſas probat conſtans, & perpetua Sanctorum Patrum, & Conciliorum doctrina, quorum hic teſtimonia, & decreta referre prolixius eſſet operæ: & à meo Inſtituto alienum. Scire hanc auſteriorem puræ SS. Patrum, & Conciliorum doctrinam moralem, lege, ſi placet, Acta Synodi Mediolanenſis tertiæ S. Caroli Borromæi, ubi Sanctus ille Antiſtes de Officio Concionatoris hæc habet: *Spectacula, ludos, ludicraque res id genus, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuò deteſtabitur, execrabitur, demonſtrabitque incommoda, publicaſque ærumnas inde in Populum Chriſtianum dimanare, in quam ſententiam validè Populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chryſoſtomus, & Salvianus afferunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitùs extirpetur.* Vides, quo pacto S. Carolus majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, Spectaculorum originem ab Ethnicorum moribus arceſſat, ac ſubindè à Chriſtianis, qui ab Ethnicorum moribus prorsùs abhorrere debeant, non adiri, nedum frequentari oportere, conceptis verbis aſſerat? S. Caroli hac in re zelum æmulatus eſt Illuſtriſſimus, juxta ac Doctiſſimus D. *Boſſuet* Meldenſium Epiſcopus, qui Spectacula Chriſtianis prohibita eſſe, eximio, quod edidit, Opuſculo invictè demonſtravit. Quapropter, Chariſſime Diſcipule, facilius eſt per anguſtam, & arduam viam, quæ ducit ad Cœlum, ſecurè incedere, quam tritam, & latam viam inſequendo æternæ ſalutis irreparabilem jacturam facere. Peſſimus jam olim tum vivendi, tum ſentiendi auctor vulgus eſt, neque unquam tam benè actum eſt cum rebus humanis, ut non peſſima placuerint pluribus. Cave igitur, ne ſic cogites: hoc factitant omnes, quid ni ego faciam? Abſurdum ſiquidem eſt, Chriſtum ad hominum vitam inflectere velle, cùm potiùs hominum mores ad Chriſtum erigi debeant. Nec ideò rectum aliquid puta, quia Primores, quia maxima pars hominum id factitat, ſed id rectum eſſe ducito, quod quadrat ad Regulam Chriſti, & hoc ipſo tibi aliquid ſuſpectum eſſe incipiat, quod placet plurimis. Unum itaque vitæ tuæ tutiſſimum Ducem ſequere Chriſtum, qui, ut rectè obſervat S. Cyprianus, non dixit: *Ego ſum multitudo*, vel, *Ego ſum conſuetudo*, ſed dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.*

D. Primævum igitur meum de Spectaculis, ſeu de Comœdiis ſenſum libentiſſimè depono, iiſque æternùm valere juſſis, ludum duntaxat literarium deinceps frequentabo.

Finis Tomi primi.

HISTORIA ECCLESIASTICA, VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

RES PRAECIPUÆ, NON SOLUM AD Hiſtoriam, ſed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS

DUO ECCLESIÆ SÆCULA, QUINTUM ET SEXTUM;

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON,

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Fratrum Præd.

EDITIO IN GERMANIA SECUNDA.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Auguſtæ Vindelicorum & Græcii,

Sumptibus Fratrum VEITH, Anno MDCCXXVII.